



# **Exedræ Ecclesiasticæ Sive Concionvm Moralium ... t. ...**

In Dominicis totius anni

**Schrötter, Johann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1687**

XXVI. In Domin. VI. Post Pascha. Cum autem venerit Paracletus, quem mittam vobis spiritum veritatis, ille testimonium perhibebit de me. Ioan. 15. Arg. Veritas proscripta mundo.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56286](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56286)

CONCIO XXVI.  
 IN DOMINICA VI. POST PASCHA.

Cum autem venerit Paracletus, quem mit-  
 tam vobis Spiritum Veritatis, ille testimonium  
 perhibebit de me.

*Joan. 15.*

ARGUMENTUM.  
 VERITAS PROSCRIPTA MUNDO.

I. **E**Xspectatissimum, & mil-  
 lenis exambitum votis  
 præstolamur hospitem.  
 Aud. Illum, inquam, hos-  
 pitem, citra cujus divi-  
 nissimas influentias, cæcutit ratio, al-  
 ger voluntas, tota ingravescit natura.  
 Hospitem, qui in nos miseros largissi-  
 mas, cælestis opulentia derivet cathar-  
 ractas; qui lumine veræ intelligentiæ  
 destitutos, radiis æternæ lucis ac ve-  
 ritatis illustret; qui nos pupillos omni  
 parentela orbatos, ac insuper jugo pec-  
 cati pressos, è servitute vindicet, in fi-  
 lios DEI adoptaturus. Hospitem, qui  
 naturam collapsam surrigat, conglacia-  
 tam hominis voluntatem flammis amo-  
 ris sui effervescente faciat, atque ad de-

properandam inoffensò pede viam  
 mandatorum Domini extimulet. Ex-  
 perimur, ut compendioso stringam, Ter-  
 tiam in adoranda Divinitate Personam,  
 Amorem increatum, Pneuma sanctissi-  
 mum. Quis futurus tam inops men-  
 tis, ut tanto hospiti penetralia cordis  
 sui obserat, aut eidem venienti remo-  
 ras, atque obstacula ponat? Immo, quis  
 nostrum eundem succensis non ex-  
 pter medullis? Quis solito laxius non  
 pandat præcordiorum ostia, qui eun-  
 dem precibus ardentissimis non invi-  
 tet? *Veni sancte Spiritus, & emitte cali-  
 tatis lucis tue radium. Veni Pater Pau-  
 perum. veni dator munerum, veni lumen  
 cordium, &c.*

Verum-



Veruntamen quum eundem desideratissimum Hospitem inaudio esse Spiritum Veritatis: *Cum autem venerit Paracletus Spiritus Veritatis: Quando revolvo eum evulgaturum omnia propalam in luce: Docebit vos omnem veritatem.* Quando perpendo haud byssinis atque lenocinantibus usurum eloquiis, sed Catonianâ; ac Rhadamanteâ facundia fulminaturum vitia: *Arguet mundum de peccato, & de iudicio, & de iustitia,* subvereri cogor, ne quàm invisâ bene multis est veritas; tam ingratus Spiritus S. habeatur. Quod quam non vano Appolline ominer palam futurum Numen ô beatissime Spiritus proximâ voluntate invoco, ac efflagito.

## §. I.

## ITINERARIUM

## VERITATIS

## FICTUM.

Veritatis  
itineraria.

II. DE Veritate comminiscuntur Poëtae, eam à majoribus Gentium Diis, ad refellendas discutendasque mendacii officinas in terras delegatam; varias stabilitum ivisse sedes. Et primo quidem accessu, non tam inescatam delitiis Regum ac Principum; quàm eorundem provocatam querelis, quòd ipsorum exula-

ret aulis, ad illas sese contulisse. Cùm ecce primâ fronte obviam conspicatur hinc inde effusam turbam, larvatâ facie, & Dulichiam suffultam gerentes sub pectore vulpem. Vidit eos duntaxat ab aure, & ore Principis esse, qui oleum non nisi in eorum aurículas instillant, illos à rationibus, secretisque consiliis, qui scenæ deservientes, palpum eidem obtruderent; eos pono assidere, qui vitia ipsius ementitâ virtutum specie cohonestarent, facinora Orcum demerita, super sidera efferrent, ipsosque Heroibus, ac semi-Deis aquarent. Obstupuit ad tam inopinatum spectaculum Veritas, contractisque humeris, Principum iniquam miserata sortem, præstolabatur, num etiam mortaliū quispiam eam introducturus esset.

Mores au-  
lici.

Cùm ecce sese eminens effert monstrum quoddam, toto vultu rugis ac fulcis proscissum, niveo totum quantum capillitio attritum, ac lacerum vestibus, & toto tremens, rigensque corpore. Quod ubi passu testudineo adrepit, agnovit esse antiquitatem amicam, seu amitam suam, rogatque, præmissâ humanissimâ salutatione, ac amplexu, quis status illius foret, & quam ipsi spem admissionis faceret? Cui illa, profundo trahens è mœsto pectore suspiria, hæc pauca, repetitâ licet remorante tussi vocem, remussitabat:

ii Kk



O mihi nunquam non cordi habita Veritas, quid me de statu meo percontaris, quem vel ex primo intuitu conjicere pronissimum est. Ex illo sæculo nostro aureo, vix hæc mihi ærugo, ex illa pompa, vix hi centones, ex omni mea virtute ac gloria vix nomen mihi superest. Efferimur nonnunquam linguæ præconiò, sed morum ubivis deformatur vitiò. Novitas ubique lauros demetit, quas in opprobrium extollat vetustatis. Tu verò, si hîc stabile inquiris domicilium, actum agis, emigravêre dudum Antigoni, qui etiam vili lacernâ induti, te inter simplicem turbam investigabant. Decessêre Augusti illachrymantes, quòd sublato Varrone non invenirent, qui eis veritatem edicerent. Evanuêre cum Platone alii, quibus nihil jucundiùs suavissimâ veritatis narratione accidere potuit.

Scob.

Principibus exosa veritas.

Olim Professores tui torque, ac fibulâ donabantur, jam verò in tortura, ac latomiis ingemiscunt. Quippe à Principibus non tam oracula, quàm lenocinia petuntur. Syrenes illis gratiores sunt, quàm Sibyllæ; strangulent, inquit, dum occinant. Non lethum, sed lætum illis est, ad symphoniam interire. Rarus è Principibus non est Sisara, qui trabali clavo suffigiendus, non obdormiat, si læteretur ad funus. Tu itaque, nisi bona nunties, malè tibi confules, nisi rosas loquaris, in dumis distabesces. Regiam adituris non minus veritas seponenda, aut amanda est, quàm anguibus nataturis virus expuendum. Hauriuntur illi fluctibus

cum virore, Vates cum veritate naufragantur.

III. His auditis actisque gratiis ac vale dicto, dum quò se vertat, intra se expendit Veritas, occurrit nullibi se digniùs residere posse, atque in Prætoriiis, Tribunalibus, ipsisque Aстреæ ædibus. Nunquam enim, (ratiocinabatur secum Veritas,) æquitas subsistere potest, nisi arbitram nanciscatur Veritatem.

Judex nisi Saphyrus sit in decernendo pro veritate, & adamas in ferenda sententia periniquus est. Incassum Codici incumbit, virgam præfert, latronibus cingitur, nisi secundùm jura me vindicet, inque obrectatores meos virgam æquitatis evibiet. Ita animata Curiam accedit, & ecce in primo limine intuetur excubare mendacia, figmenta, calumnias, specie ipsa abominandas. Quæ nihil morata, in anti-cameram judicii non citra luctam enititur: In qua dum sese versat, advertit, symbola sibi postquam exosa. Unum repræsentabat telam araneorum, quam crabrones nullo negotio transvolarent, culices autem ac muscæ suspenderentur, cum inscriptione: *Justitia hujus mundi*. Alterum exhibebat lances binas, in quarum una aurum, in altera Pandecta Juris, cum lemmate: *Plus ponderis aurum, quàm folium*. In tertio visabantur corvi depascentes corpora ex parte una, ex alia verò columbulæ grana investigantes, incumbente super eos accipitre, adjecto Persii rythmo:

Judicium  
perverse-  
tas.

Dat



Persus.

*Dat veniam corvis, vexat censura columbas.*

Vidit hæc, & altum ingemuit: Hæccine sedes Atrææ, & non satiùs iniquitatis est, ubi non pro æquitate ac veritate, sed pro respectu ac munere discernitur? Ubi vitia majori corriguntur piaculò, quàm patrentur? Ubi virgam iudicii, & sanguis inflectit, & munus infringit? Ubi simplex & rectus mulctatur, dives & iniquus triumphat? Cedendum, cedendum mihi hinc ocyùs, ne aut officiis illorum intricata, aut perversis glossematis involuta, tam leviter me extricare haud sufficiam.

*Ecclesiasta libera patrocinari veritati non audent.*

IV. Superest una mihi, eaque multò certior ac prope indubia sedes sanctorum oraculorum. Ubi enim magis, quàm in Tripode acerra mihi fumat? Si ubivis gentium proscibar, hoc reclinatorium me manet. Non potest non suus esse Veritati locus; unde omnis fulminatus est jocus. Hunc in modum, erecta animo, approximato fano, pronosque totis ventribus conspicata augures, stupet quis ex Apolline Hermagoram refinxit? cur nulla audirentur oracula. Sic suspensæ occurrit prodigium aliud, idolum capite truncum. Adjurat itaque aliud salvum, quid rei sit, cur tam mordicùs linguam infrænaret? cur consulentibus non adesset, veritatem non expromeret? Tum illud: *Tempora mutantur, homines deteriorantur, & qui vult dicere verum, frangitur illi ca-*

*Berber. in Bib. mor. l. 11. c. 19.*

*put.* Olim nobis profari fas erat, & tuam deprædicare excellentiam, ô dilecta Veritas; jam verò declinante in vitium mundo, ora obstruuntur. Ecce hoc oraculum hac nocte à furcifero capite imminutum, quòd ejus rapinam evulgasset. Præstat tacere, quàm loqui, immò assentari, quàm Veritatem profari. Qui enim vult dicere verum, frangitur illi caput.

V. Sic elusa Veritas, aliò quò se reciperet, præter publicum, non invenit. Quò cum secessisset, rata sub Jove dío clariùs patere veritatis fulgorem, ecce recentem sibi obstentem turbam offendit. Audiit instigatorem, merces, easque corruptas dimidiò majore venditare pretiò, insuper pejerare, optimas esse, & tanti sibi veniisse. Vidit inibi viros editos non regibus, sed remigibus stemmata sua ab Anchise venditare; alibi fœminas pavonum instar sese efferentes, & quibus cum tota supellex in tergo, domi nonnisi parumper brassiæ superest, deblaterantes lautitias uvas, & volucrum depasta cerebella. Hic ultra sui impos Veritas, ostenso segmento brassiæ, quòd casu collari adhæserat. Hem, ait, istæ plumæ id evulgant; verum an phasianorum, an perdicum sint, latet. Quò dictò, puella, quæ antehac omnem mentiebarur modestiam, in furias acta, concitis procis, ac contribulibus, veritatem quæ pugnis, quæ verberibus, tam severè multarunt, ut vix semianimem in plateis destituerint: *Corruit Veritas in plateis.*

*Mendacis mundi.*



VI. Dii quorum oculus nunquam non ad succurrendum suis invigilat; videntes oppressionem perditæ sibi filia, viscera cuiusdam vetulae ad comiserationem inflexere, quatenus veritatem tantopere despiciatam, ac depalmatam sublevaret, ejusque misera, domi suae reciperet. Ista & Deorum vœtigalis imperio, & promicante ex vultu Veritatis (quæ latere minimè potuit) cristallina, gemmeaque pulchritudine sublatam brachiis domum suam intulit. Hic thesaurum suum accuratiùs lustrando, videt perinde ac in speculo, rugas suas in fronte, ac genis profundissimè ductas, dentem unum alterumvè crassiorum apri in morem extantem, alios hiantes, verrucas in mento mistacibus longioribus obsitas, oculos hiulcos, membra alia tremula, totum corpus Megeræ, aut Medusæ instar deformatum. Excanduit hic mirum quàm dici potest, vetula, & quam antè fovere cœperat jam verbis, jam verberibus expulsum ibat: O te ingratiam diisque adversis natam exululat; jam palpo, quid causæ sit, quòd ubivis locorum repulsam patiæ. Apostema es, quod citra dolorem tangi nequit. Canis, quæ accedentes torvè allatras, si mordere non præsumis. Rude nimis lignum, quod in scenam efformari nequit. Nonne tibi tantisper serviendum esset tempori? nonne aliorum indulgendum nævis? nonne dissimulandum modicè? Apage, apage, nec hic angulus pro te recipienda,

*Veritas  
à vetula  
expulsa.*

ac vindicanda eductus est. Abi per me licet in malam crucem, dummodo hoc in limine posthac non compareas.

Hic, ubi manserit Veritas, incompertum Poëtis est. Alii puteo mercam defendunt; alii rectiùs, fulminasse mundum, & substitutò mendaciò, in æthera avolasse.

§. II.

ITINERARIUM

VERITATIS COM-

PROBATUM.

VII. **I**TA Poëtis ingeniosè delirantibus, me unà cum ipsis in Æsopi silvula aberrare quispiam ominabitur. Verùm, ut oracula esse constet, quæ loquor, Sapientem vias ipsius enarrantem, auscultate: *Sapientia*, (inquit, id est, summa ac æterna Veritas.) *foris predicat, in plateis dat vocem suam. In capite turbarum clamat, in foribus portarum urbis profert verba sua, dicens: Usquequò parvuli diligitis infantiam, & stulti ea, quæ sibi sunt noxia, cupient.* Quatuor hinc in primis ipsius itinera ac diverforia describit. Primum est, quod à Poëtis loco ultimo ponitur, de foris: *Sapientia foris predicat*, nimirum in aprico, ac cælo sudo. Alterum *in plateis*, in quibus Oratoribus rostra ponebantur, per quæ interpretor exedras Ecclesiasticas. Tertium, *in capite turbarum*, id est, inter Principes

*Prov. 1. 8.  
20. 21. 22.*



Hebr. II.  
v. 17.

ac Summates populi. Postremum, *in portis urbium*, in quibus causa agitabantur, & tribunalia statuebantur. Omnia hæc strenuè obibat, instruebátque Veritas. Sed quò successu? Omnino irritò. Quippe cum in primi conspectum seipsam nativò oris filò conspicuam dare, haud consultum judicaret cum alios, tum imprimis sanctos Apostolos per Orbem terrarum eos dispertiendo misit. Quibus egregiè spartam suam obeuntibus, non nisi tela, ergastula, cruces aptabantur. *Quippe lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occasione gladii mortui sunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, esentos, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus.*

VIII. Ad aliud diverforium, nimirum rostra Ecclesiastica, ut alios innumeros mittam, suo destinavit nomine, virum plenum gratià ac fortitudine, sanctum inquam Protho-Martyrem Stephanum. Eò incomprehensam Numinis in populum suum Bonitatem, ac providentiam prædicante, ac subinde ad infiniti amoris in incorporato DEI Filio mysteria devolutò, cum populum inflecti ad emendationem par esset, in diras versum conspexit; legarumque suum exturbatum templo ultra portas Urbis lapidibus obrutum ingemuit. (*Act. 2.*) *Lapidaverunt Stephanum invocantem & dicentem: Domine JESU, ne statuas illis hoc peccatum.* Quid subinde?

IX. In tertio quot quæso non

linguis, ac lateribus peroravit? Imprimis quo simpliciore, ac minus fucato habitu accederet, faciem unius de opilionibus idiotis, nomine Amos assumpsit; in eoque Regem Jeroboam cum populo suo corripuit dicens: *Nisi ab idolis ad verum DEI cultum conversi fueritis: In gladio morietur Jeroboam, & Israel captivus migrabit de terra sua.* Implevit Samaria mensuram criminum suorum, nec restat præterquam apex gladii apponendus. Et ecce actutum unus de Aseclis Principis Amasias apprehensum foras educit, dicens: *Qui vides egredere, fuge in terram Juda, & comedere ibi panem, & prophetabis ibi. In Bethel non adjicias ultra ut prophetes, quia sanctificatio regis est, & domus regni.* In angulis ac delubris prominentur oracula, non in regum solis. Hic ea gratissima habentur, quæ non tam ex divinis codicibus, quam ex ipsis Regum frontibus, desumuntur. Is optimus acceptissimusque augur, qui ex Summarum superciliis divinat, nec ex corde victimæ, sed è ventriculo regnantium eruderat vaticinia. Tu cum hujus haruspicinæ rudis sis, apage fuge in terras longinquas, *Et in Bethel non adjicias ultra, ut prophetes, quia sanctificatio Regis est, & domus Regni, &c.*

Veritas rata, homines vulgaris cicladis, minus acceptos purpuræ, politioem multò Micheam subrogare constituit. Et is ultro admisus, ne prima fronte offenderet, ab amico ut videbatur spadone monitus:

li K k 3

Ecce

Amos 7.  
v. 12, 13.



3. Reg. 22.  
v. 13.

*Ecce sermones Prophetarum, uno ore Regi bona predicant. Sit ergo sermo tuus similis eorum, & loquere bona.* Cum multis desipere, pars sapientiae est, solum velle sapere, stultitia: si adversò tot Haruspicum natate fluente, nixus fueris, incassum remos concitabis, & conatu irritò, in profunda Oceani devolveris. *Sit ergo sermo tuus similis eorum, & loquere bona.* Michæas his blandimentis necquicquam motus, Regem firmissima constantiae, ac veritatis accinctus agide adiit: A quo quæsitus, an eundem in Ramoth Galaad, an super sedendum? non tam lenocinaturus, quam assentatarum explosurus, offucias reposuit ipsismet eorum verbis: *Ascende, & vade prosperè, & tradet Dominus in manus Regis.* Jam tibi militat æther, & conjurata veniunt ad iussa procellæ, cornu uno ventilabis, subvertesque Syriam universam.

Ibid.

Ibid. v. 27

Subodoratus lusum Rex, adjurat Vatem, ne sibi imponat, sed sepositis salibus, quid oraculo acceperit, eloquatur: *Adjuro te, ut non loquaris mihi, nisi quod verum est, in Nomine Domini.* Tam seriò veritatem appetiit, non ut pareret, sed perderet, non ut adoraret, sed fulminaret. Nam cum quod audierat, oraculum enuntiaisset: *Vidi cunctum Israël dispersum in montibus, quasi oves non habentes pastorem,* eodem momento à cornuto ariete Sedecia multatus colapho, imperio Achabi in vincula conjectus est: *Mittite virum istum in carcerem, & sustentate eum pane tribulationis, & aqua angustiae.* Sic ut primùm mentionem ovium fecit, lu-

Ibid. 28.

Ibid.

pum in oraculo invenit; & in ergastulis obsolescere cogitur; quòd unus præ cæteris clariùs viderit cladem imminentem. O miseriam! O perversitatem! Veritas nec his deterrita calamitatibus, alios atque alios, advocat; eosque non editos remigibus, sed regibus, illisque verba instillat, ut non tam suo, quam ipsius labio personarent: *Ecce dedi verba mea in ore tuo.* Verùm & hi partim in nervum missi, partim gladio cæsi, partim lapidum grandine miserimè contriti.

Ier. 1. 10.

X. Restabat ultimum ad Tribunalia perfugium, quò ipsa non tam invitata, quam attracta Veritas, quæsitumque de ipsius genealogia ac stemmate, *Quid est Veritas.* Hic salvam tutamque crederes; verùm si quo in loco, tum inibi pessimè habita. Quippe utut Judex patrocinari illi lotis manibus, videbatur, nihilominus primò flagris, tum sibilis, postremò infami addixit stipiti. Eheu miseram! eheu Niobeis deplorandam lachrimis calamitatem! Usque adeo dirè sævitur in innocentem, eo duntaxat nomine ream quia Veritas. *Corruit Veritas in plateis,* vel ut Daniel loquitur: *Prosternabatur veritas in plateis,* vel ut dilectus Domini discipulus: *Bajulans sibi crucem exivit in eum, qui dicitur Calvariae locum, ubi crucifixerunt eum.* Hæc fors olim extitit sacro-sanctæ Veritatis, sic accepta, imo sic proscripita, sic ex hoc mundo exturbata est. Utinam verò non multò deterior eam pestifero hoc sæculo maneret conditio. Ut enim hæc effrænatissima portenta tyrannidis videri

Isa. 59. 14

Dan. 8. 13

Ioan. 19.  
v. 17, 18.



deri possunt; sustineri, ac leniri eo embammate queunt, quòd à summis capitibus profluxerint. Jam verò quis ferat (quod tamen sollemnissimum) è stipite fustem excidi? Detestamur Reges, ac Judices impatientes Vaticinii? hostes vaticinii non fulminabimus, & re-coctos alibi Institores veritatem venenatis linguis admordentes? Patebat olim ad plerosque aditus Veritati, qui libenter audiebant eam, & ejus gratia multa faciebant. Jam verò apud Semi equites, affatos senilixas, pistrini transugas, futiles, buxosque Mecæ-natos eandem vel nudam, vel etiam benè togatam producere, crimen læsæ majestatis, dico, seu scurrilitatis est. Cùm nullius eos pudeat criminis, solius depudet veritatis, cùm omnia scelera pileo donentur, sola Veritas mulctatur, ac mancipatur.

Videant hi, ne dum Spiritum Veritatis audire detrectant, à patre, & spiritu omnis mendacii circumscribantur. Videant ne dum ductum illius sequi tergiverfantur, ab hujus inescari officiis, à tramite salutis desciscant. Videant, ne cùm hunc Doctorem habere abnuunt, alterius tyrannici Didasculi ferula subjiçiantur.

XI. Scitè hanc infelicitatem eorum à minori ad majus argumentando comprobatur Doctor Gentium in Epistola ad Hebræos: Cùm enim adhortatus eos esset ad suscipiendam Evangelii veritatem, monuissetque ne obliterent corripienti: *Videte ne recusetis loquentem*, subdit: *Si enim illi non effugerunt recusantes enim, qui super terram loquebatur,*

Hebr. 12.  
v. 12.

*multò magis nos, qui de cælis loquentem nobis, avertimus.* Judæi quories Moyfi obstrepebant, aut ejus detrectabant imperium, jam ignitis serpentibus, jam cæde multorum millium mulctati sunt. Ex quibus formâ optimâ ratiocinatur Doctorum Alpha Paulus: Si Judæi non effugerunt ultionem, recusantes Moysen audire; quantò minus nos effugiemus supplicium, qui loquentem de cælis Spiritum S. avertimus? qui nimirum repellimus ipsum Deum specie primùm linguarum ignearum illapsum; tum verò per Apostolos suos, aliosque Ecclesiastes à se missos, edoctos, ac illuminatos; tum etiam intra nosmet ipsos per sanctas, suavissimasque inspirationes loquentem? Si illi non effugerunt renitentes audire purum hominem fermocinantem de terrenis, multò acerbius plectentur, qui de cælis loquenti contradicunt, & averfantur Christum, & Spiritum ejus, qui de cælis ad nos loquitur cælestia. *Videte ergo, ne recusetis loquentem.* Periculum ex eorum casu facite, & sapere discite.

Illi tamen forsitan in corpore duntaxat animadversi, ut spiritus eorum in die resurrectionis salvaretur, at verò contranitentes Spiritui S. animarum subeunt dispendium. Illi à terra promissionis exclusi sunt, hi ab ipso regno Emyreo fulminantur. Hoc fulgurum ingenti dudum cum fragore in Judæos veritati recalcitrantes; nunc in universos Cælum Apostolicum ejaculatur. Cùm enim illi Antiochiæ præfractè Evangelicæ veritati obluçtarentur, præmissa incassum acri correptione in-



Ad. 13.  
v. 46.

ne intonuit Paulus : *Vobis oportebat primum loqui Verbum DEI, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis aeterna vita, ecce convertimur ad gentes.* Haecenus aliquid spei de vestra salute praeconeperam; jam vero quia Spiritus S. germina per me sparsa suffocatis, omnem deponere cogor. Ut enim magnum inhabitantis Spiritus S. ac futurae salutis indicium est inspirationibus ipsius obsequi; ita evidentissimum reprobationis signum est

eidem oblectari. *Quia repellitis illud indignos vos iudicatis vite aeterna.*

Ne itaque eadem calamitas, eadem damnatio nos involvat; quotquot ad fulmen istud expallefcitis, pronas non modo aures eidem loquenti ministrato, verum imprimis hocce oetiduo eundem ingeminatis precibus invocate: *Veni Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende.*

Fiat.

